

interrogante instituitur, vocatur <sup>1)</sup>, sunt adiectitiae actiones, ita puto etiam, sequestrariam actionem huius generis esse, eamque adiici variis actionibus, ex contractibus cum sequestre initis, oriundis, ut ideo non depositi tantum sequestraria actione, sed et mandati et locati sequestraria cum sequestre agi possit. Nam dum adiicimus, sequestrariam eam esse, determinamus finem, ob quem contraximus, seu id, ad quod tendit contractus, et quo ipso ab aliis eiusdem generis distinguitur, qua quidem ratione rem quoque explicat celeberrimus BOEHMERVS <sup>m)</sup>.

§. XIII.

QVIS LOCVS DOCTRINAE DE SEQUESTRATIONE IN IVRISPRUDENTIA IN FORMAM ARTIS REDACTA APTE ADSIGNANDVS SIT?

INCIDIT hoc loco alia quaestio, quae spectat ad artis formam et rationem, qua loca iuris nostri disponi debent, ut possint optime in vnam compagem redigi. Quaeritur enim: quo loco tractanda sit haec de sequestratione doctrina, si iusto ordine rectaque ratione secundum dialecticorum praecepta omnia digerantur? In quam quaestionem ideo potissimum incidi, quia vereor, ne ea inferatur, mihi quae quasi dubitatio obiiciatur ab iis, qui, licet multum operae in recte ordinanda iurisprudencia adhibuerint, tamen sequestrationis doctrinam eo loco pertractarunt, quo de contractibus exposuerunt, ita ut hanc iungerent contractui depositi. Horum enim

H 2 ordo

1) Conf. Viri Illustr. Clar. CAR. FERD. *interrogation. in iure faciendis hodie*  
HOMMELII elegantissimam prolus. de *non sublati* p. 12.

m) locum supra dedi §. XI. lit. a.